nuda dogmata, deductis controversiis, quibus me lectorem
Sisyphum discruciavit, et paucis pagellis ea cum amicis
communicare. sicut praeivisse ipsum ad Caelum lib. 2°
de materiâ et mixto observabis. quaesivi, an subire
hunc laborem velles. rogo nunc ut subeas, et majorem
quidem in modum obsecro. Nam ut scriptionis non ingratae
genium omittam, est in illo homine? Sed suspendere
me sententiam decet, et a te expectare quo loco haben-
dus sit, gravis Entelli non sequior Dares, quod avidè
facturus sum, si quàm operam pollicearis. et fieri id quidem
possit pace Puelli dictatoris, et puellae (viduae inquam)
saepè nunc dicendae, dictitandae. Vale mi doctor, mi
vates, mi Amator, et felicissimè quidem, si vis, amato.
ut doces, ut canis, ut vovet

Tuus.

23. Martij. 1636. C. H.

Heinsio.

Nobilissime et Amplissime Domine.

(236).

Acceptis tandem literis nostris, quas non oberrasse
nunc videbis, sed Lutetiae cum sensu et curâ asser-
vatas fuisse, extemplo has Balzacus reposuit, perferen-
dasque Aiguebergio tradidit, viro nobili, docto, et
~~ut~~ olim indicasse me puto, tui studiosissimo. Pauc-
orum quidem verborum illas, sed veracium, et in
quo minus quotidiè haesito, ab animo tam fuci
aut malevolentiae vacuo, quam tui prorsus obser-
vantissimo candidè productas. Accedit Aiguebergii
in amici gratiam, et mandato quidem ipsius, constan-
tissima assertio. Accedit altera Dominae Desloges
celeberrimae mulierum, cui cum ante menses duos
per epistolam indicassem, quam in morâ respondendi
ad dissertatiunculam Balzaci neutiquam fuisses, sed
meo partim infortunio, partim eorum culpâ
accidisset, qui perferendo fasciculo se obtulissent
quod serius erroris sui facundus scriptor admone-
retur, rescribere illi Heroinae visum fuit, quae hic
videbis. neque videres tamen, nisi omnibus mihi
modis allaborandum dicerem, ut quam de Balzaco
non aequam suspicionem admiseris, tot praestantissi-
morum hominum votis et suffragiis certus fias.
Immodicas enim laudes, quibus me suffocat ille
magis, quam extollit, pudor me ut supprimerem
adegisse debuit. Nunc alia ratio commovit, neque
celari te passa est, quae scripta non videntur nisi, mea
extra

nisi, quo ad clarissimi nominis tui mentionem, citra
affectationem perveniretur. Quod superest, Balzacii
dissertatio, procurantibus amicis, et omni, ut refertur
aulâ flagitante, typis excusa prodit. Ex eo dum se
prospicere autumat, rescriptionem item tuam ~~non~~
publico non dubiè datum iri, excerpsit, quas et hic
videbis, duriusculi sermonis periodos, quarum si acce
tum induci potes, ut ~~[illegible]~~ suaviori locutione
diluatur, optabit ipse, ut orbi innotescat, quantâ
facilitate, eruditione, et autoritate scrupulos hæsi
tanti summoveris, quibus jam se liberta~~tem~~tum fatetur,
et publicè quidem, si voles, professurum recipit, nam
et Aiguebereo hoc præcipuè in mandatis dedit. quæ hic partes
meæ sunt, dandam operam censeo, ut sarta inter
vos amicitia sit, cujus me quasi proxenetam admi
sistis. Eo si inclinas vir humanissime, ut equidem
autor sum, et majorem sanè in modum te obsecro.
confestim atque jusseris, adversaria tua ἐν χειηγύδοις
mihi asservata transmittam: de editione
pluribus vel scripto tecum, vel coram acturus, si fieri
per alterutrius occupationes poterit, ut vel domi
tuæ vel meæ brevi congrediamur. Vale meum
decus, et has chartulas, quibus me respondere
par est, ubi otium erit, remitte. Hagæ Com:
XVII. April: CIƆIƆCXXXVI.

Puerio Boxhornio. (237)

Synopsin. Vir Clarissime, de quâ dicebam, supellec-
tilis Smithianæ prout condi à me olim, et auferri
mente potuit, hic habes. dum illam contrectandi copia
non est. his umbris utere mecum, atque archetypo
respondere videantur, quæ te in dictione sordes offen-
dent, pro ærugine sunto. et me ama
21. Maij 1636. Tui amantissimum
C.H

Barlæo

Vir doctissime et amicissime (238)

Nummos pridem tibi debitos, quorumque non nimium rigidus
exactor es, nautarum fidei committendos mandavi,
ut qui absque periculo et levi mercede ejusmodi merces
quotidie transportent. De Epigrammatis gratum est
quam maximè